Czyrzyckowicz Andr. Aug. Quaestio theologica de reprobatione

✠

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO THEOLOGICA,

DE

REPROBATIONE,

Ex Prima Parte, Theologiæ D. THOMÆ Aquinatis Doctoris Angelici, Quæst. 23. Art. 3.

A

M. ANDREA AUGUSTINO CZYRZYCKOWICZ,

Collega Majore, S. Theologiæ Professore, Ecclesiarum Collegiatarum, Sancti FLORIANI ad Cracoviam CANONICO, Neosandecensis Primicerio, Contubernij Staringeliani PROVISORE:

PRO

Licentia in S. Theologia obtinenda,

IN

Lectorio DD. Theologorum,

Publicæ Disputationi

PROPOSITA.

Anno Domini 1698. Mense April. Die 21. Horâ 12.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO THEOLOGICA, DE REPROBATIONE.

UTrùm Deus Reprobans homines, per Actum Intellectus; ante Præviſionem Demeritorum, omnibus reprobis det media ad ſalutem ſufficientia, nec ne?

CONCLUSIO I.

DEUS Reprobat homines Decreto Efficaci, & Immutabili, aliquos ab æterno, hominum, & Angelorum, voluit à gloria excludere.

COROLLARIA.

I. *Reprobatio Directè opponitur Prædeſtinationi, cuius eſt Obiectum tantum Creatura Rationalis.*

II. *In Reprobis cognoſcimus Iuſtitiam Vindicatiuam DEI, voluit eos pænâ Æternâ punire, & ex voluntate ſic puniendi, permiſit, & permittit vt peccent, & in peccato vſq; ad finem Vitæ perſeuerent.*

III. *Deus cùm ſit Uniuerſaliſſimus Entis Prouiſor, ad ipſum ſpectat permittere, vt ſint aliqui defectus in Particularibus ne impediatur bonum totius Uniuerſi.*

IV. *In Deo non fuit Actus Abſolutus Voluntatis, ante prauiſa peccata: Volo hos homines excludere à gloria mea; ſeu Nolo iſtos homines admittere ad gloriam meam.*

V. *Si Homo non peccaſſet, non fuiſſet in Deo Electio, quâ ſepararetur bonus à malo.*

CONCLUSIO II.

REprobatio conſiſtit Eſſentialitèr in Actu Intellectus Divini, qui eſt Imperium præſupponit tamen Indiſpenſabilitèr, Actus Voluntatis Divinæ.

COROLLARIA.

I. *Reprobatio in Deo, non dicit ſolam Negationem Prædeſtinatio-*

natio-

nationis, sed Actum Positiuum Intellectus, quo ab æterno, hos, & illos, determinauit.

II. *Causa Principalis, & Prima Reprobationis hominum, est Originale Peccatum.*

III. *Peccatum Originale dicit Recessum à Bono Incommutabili, & accessum ad Bonum Commutabile.*

IV. *In nascentibus non baptizatis, quoniam est Carentia Iustitiæ Originalis, non per motum Voluntatis propriæ, nec per Actualem Delectationem; hinc sequitur, quod peccato Originali, post hanc vitam non debetur pœna sensus, sed tantùm Damni.*

V. *Peccatum vltimum, in quo quis moritur, est Causa Reprobationis Positiuæ, quod in pueris non baptizatis est Originale, in Adultis Actuale: in Infidelibus est Originale, & Actuale.*

CONCLUSIO III.

DEVS ante Prævisionem omnis Demeriti Personalis, voluit aliquibus denegare gloriam, sive illos à gloria excludere, vt indebito beneficio Ordine Intentionis.

COROLLARIA.

I. *Angeli mali fuerunt Reprobati à Deo Positiua Reprobatione, propter peccatum præuisum.*

II. *Permissio peccati non est Communis, bonis, & Reprobis Angelis.*

III. *Permittere peccata, nullam ponit Indecentiam in Diuina Prouidentia, immò est maximè conueniens talis permissio, & Conformis Naturæ Rerum Defectibilium.*

IV. *Permissio quâ Deus permittit homines peccare, nihil aliud est, quàm libertas hominis, secundùm quam homo est liber ad bonum, & ad malum.*

V. *Pœnitentia non est nuda vitæ mutatio, & propositum nouæ vitæ, sed & veteris Detestatio, Castigatio, & Satisfactio.*

CONCLUSIO IV.

DEVS omnibus Reprobis dat auxilia sufficientia supernaturalia ad salutem.

COROLLARIA.

I. *Deus dat auxilia sufficientia ad salutem etiam ijs, qui indurati, & excæcati sunt, pro loco, & tempore, quo instat alicuius præcepti supernaturalis obligatio.*

II.

II. *Non facienti quod in se est, Deus aliquando subtrahit auxilia specialia supernaturalia.*

II. *Præter auxilium sufficiens, quo Deus per Præuenientem, & Operantem gratiam interiùs mouet, & excitat liberum arbitrium, vt conuertantur ad Deum, necessariò constitui debet auxilium Efficax, quo homo Actualiter, & in Effectu convertitur.*

IV. *Deus confert alijs Maiora, alijs Minora, auxilia, & quò maiora & Vehementiora tribuit, eò magis, & meliùs conuertitur ille.*

V. *Deus sufficientissimè prouidit omnibus parvulis de remedio salutis suæ, per Passionem Christi, & eius Baptismum quantum est ex se.*

Ad Majorem DEI Gloriam cedat.

Sub Felicissimis Auspicijs,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reverendi Domini,

D. M. CHRISTOPHORI SOWINSKI,

Sacræ Theologiæ Doctoris & Professoris, Collegæ Majoris, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. Omnium Crac. PRÆPOSITI, ad S. FLORIANUM DECANI, CANCELLARII Posnaniensis, CUSTODIS Pilecensis, CURATI Prosovicensis, S. R. M. SECRETARII, Contubernij Philosophorum PROVISORIS, Studij Almæ Vniversitatis Cracoviensis, GENERALIS, ac VIGILANTISSIMI

RECTORIS.

bit au-

entem,
iberum
nstitui
Effectu

& quò
s con-

medio
quan-

ni,

ris,
, SS.
UM
DIS
E-
IS,
is,

. 78.

~~Czyrzyczkowicz Andr. Augustin.~~

~~Quaestio theol. de reprobatione.~~